

Vita et opiniones Helmontii : dissertatio inauguralis medica ... / publice defendet Didericus Henricus Fraenkel.

Contributors

Fraenkel, Didericus Henricus.
Kühn, Karl Gottlob, 1754-1840.

Publication/Creation

Lipsiae : Litteris Staritzii, [1837]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/h3pdnqxa>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

VI 4 XII 4 61474/10 4733 E42

**VITA ET OPINIONES
HELMONTII.**

W. A. Kelly
DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

QUAM

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS AUCTORITATE

IN ACADEMIA LIPSIENSI

PRO SUMMIS

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORIBUS

RITE CAPESSENDIS

ILLUSTRIS ICTORUM ORDINIS VENIA

IN AUDITORIO IURIDICO

DIE VI. MENS. IUNII A. MDCCCXXXVII.

PUBLICICE DEFENDET

DIEDERICUS HENRICUS FRAENKEL

E PROMONTORIO BONAE SPEI ORIUNDUS

MEDICINAE BACCALAUREUS.

LIPSIÆ

LITTERIS STARITZII, TYPOGR. ACAD.

1837

W. T. A. N. T. O. T. H. A. N. T. A.
J. H. W. A. N. T. A. N. T. A. N. T. A.

GRATIA MEDICINA GRADUATA
J. H. W. A. N. T. A. N. T. A. N. T. A.



W. T. A. N. T. O. T. H. A. N. T. A.
J. H. W. A. N. T. A. N. T. A. N. T. A.

P A T R I O P T I M O

SIGFRIEDIO FRAENKEL

MEDIC. AC CHIRURG. DOCTORI, MEDICO URBIS PROMONTORII
BONAE SPEI PRINCIPALIS

V I R O

ILLUSTRI, AMPLISSIMO ET DOCTISSIMO

IOANNI CHRISTIANO AUGUSTO
C L A R U S

MED. AC CHIRURG. DOCTORI, REG. SAX. CONSILIARIO AULICO ET MEDICINALI,
SCHOLAE CLIN. MODERATORI, FACULTAT. MED. LIPS. ASSESSORI,
MULTARUM SOCIETATUM SOCIO

PRAECEPTORI SUMMA PIETATE COLENDO

N E C N O N

V I R O

DOCTISSIMO, AMICISSIMO ET HUMANISSIMO

PETRO HENRICO POLEMANN

HUNC LIBELLUM

GRATISSIMI ANIMI TESTIMONIUM

VOLUIT ESSE

Auctor.

P R O O E M I U M.

Lectoribus benevolis immodestus videbor, qui opus suscepi, in quo viri probi et improbi sententias et philosophicas et medicas explicare et de eius systemate iudicare conatus sum. Spero tamen, si consilio minus responderim neque votis Vestris satisfecerim, Vos vitiorum meorum mitiores fore iudices. Quum et Vobis et mihi nimis longum fuisset, omnes HELMONTII sententias et doctrinas explicare et mala in iis a bonis separare, solummodo nonnullas proposui, ne hoc primum meum opusculum academicum, Vobis taedium excitaret. Nostram attentionem inprimis systema eius de febre meretur, quod eo tempore atque nunc mutatum, magnum tenuit locum, quodque cum physiologia et philosophia cohaerens me impulit, ut HELMONTII opiniones huc spectantes commentarer. Longum abest, ut opusculum meum ab erroribus liberum censeam, sed id tantum in animo mihi fuit, ut mysticismi effectum in artem nostram tristem ostenderem et virum illum voluntatem quidem bonam habuisse, neque vero, quae proba et recta sunt, fecisse, exponerem.

HELMONTII VITA.

Natus est IOANNES BAPTISTA VAN HELMONT, Toparcha in Merode, Royenborch, Oorschot et Pellingue, Bruxellae, anno Domini 1577, stirpe generosa. Philosophiae studiis Lovennae omnem curam impendit; quam ob rem praeter lectiones academicas, etiam scholis Iesuitarum, qui eo tempore praelectiones philosophicas habuerunt, interfuit. Sic modo hanc modo illam sectam deserens aliamque petens, si eius votis priorum principia minus responderent, continuavit, usque dum opera Thomae a KEMPIS et IOANNIS TAULERI ipsi obvenirent. Quorum sententias nunc statim amplexus mysticismo se tradidit, cuius ope satis intelligere sibi videbatur, sapientiam donum esse divinum, quod sola sollicitatione et diligentia propria obtineri possit. Huius sectae principiis motus sensim sensimque humiliorem animum induit, tantopere crescentem, ut non solum bona sorori donaret et nobilitati stirpis suae renuntiaret, sed etiam Christo similem esse conaretur¹⁾.

Qualem effectum mysticorum principia et in vitam et in opiniones philosophicas HELMONTII exercuerint et ad quosnam

1) KURT SPRENGEL, *Geschichte der Arzneikunde*, pag. 345. Tom. IV.

errores et absurditates illa eum duxerint, e sequentibus facile apparebit. Inprimis eo adductus est, ut studium medicinae tanquam amoris et misericordiae laborem amplecteretur. In hoc studio prae buerunt ei fundamenta Hippocratis et Galeni opera, quibuscum more illius temporis studia coepta sunt²⁾. Haec assidue legebat totoque animo ea amplecti coepit, systemata eorum bene intelligens.

Mysticismus autem etiam his in systematibus non diu persistere potuit et quum auctores Graeci mysticismi parum continerent carerentque pabulo ad animum alendum et incitandum, ea deseruit. Huc cura a quodam medico e schola Galeni instituta non parum contulit. Nam, quum forte scabie ipse laboraret, ille causam proximam huius morbi in bile combusta et muco salino quaerens, laxantibus eum tractavit: quorum effectu debilitatus sed non sanatus³⁾, omne systema pathologiae humoralis non solum contemnere⁴⁾, sed ad morem Paracelsi, cuius opiniones, principia moresque etiam atque etiam vituperavit, medicinam reformare incepit. Paracelsi opera diligenter quidem legit, sed quum eum omnino despiceret, (Paracelsum enim vocat „*einen selbstsüchtigen verworrenen Kopf, einen uncwissenden, oft wahnsinnig scheinenden, lüderlichen Vagabunden*“) eorum studio tantum incitatus est, ut systema medicinae mutare conaretur.

2) Studia HELMONTII, pag. 13.

3) HELMONTII ort. med., pag. 255. idem de febribus pag. 756.

4) idem de febribus — pag. 756. — De lithiasi. — Carmen contra Galenitatem.

Licet nullam antea dignitatem academicam acquirere aut obtinere voluisset, tamen anno 1599. doctor medicinae factus est. Eodem modo postea abiecta humilitate divitias amare coepit, quas, postquam itinera in Italiam et Franco-Galliam perfecerat, matrimonio sibi contraxerat. Tandem anno aetatis sexagesimo, Vilvordae, ut nonnulli contendunt, maniacus⁵⁾ obiit. Inter eius liberos praecipue commemoratu dignus est FRANCISCUS MERCURIUS VAN HELMONT, cui, ut ipse refert, editionem operum suorum tradidit, qui vel ipse in omni theosophiae parte patrem suum superavit⁶⁾.

Omnibus in rebus, quas suscepit, varia in vitia et in gravissimos errores incidit, id quod scientiarum bonarum incremento damnum attulit magnum. Vanitas, credulitas extrema creberrimaque inconstantia animum eius occuparunt, quae praecipue multum auctae sunt, quod in mysticorum aurea aetate vitam degit eosque omni modo adjuvit. Omnia enim scripta HELMONTII et philosophica et medica mysticis gaudent fundamentis, quorum initia quamvis bona, tamen reliqua in credulitatem absurdissimam degenerant. Sic daemonum et magorum influxum⁷⁾ adnumerat causis morborum occasionalibus et in Theophania eo pervenit, ut in quavis vitae re mira spectra videret et animum suum, crystalli splendentis ad instar observare opinaretur⁸⁾. Praeterea vir acuti ingenii, in detegendis

5) Lettres de GUY PATIN, Vol. I. pag. 14.

6) KURT SPRENGEL, *Geschichte der Arzneikunde*, Tom. IV. pag. 348.

7) V. HELMONT *ort. med.*, pag. 452.

8) idem pag. 15. — idem 215. — Confessio HELM. pag. 9.

aliorum erroribus acris, in colligendis rebus causae propriae faventibus ingeniosus, artium bonarum olim amator, qui omnibus scholis et philosophicis et medicis mathematicisque interfuit, initium cum rebus theologicis fecit, easque partim cum magno partim sine progressu omnes deseruit. Haec studia praecipue neglexit, quia sapientiam veram quaesivit. Astronomiae quoque studio tamdiu deditus fuit, quamdiu haec doctrina tanquam incerta ab eo cognita est eamque sapientia omni carere intellexit. Dein ille vicissitudine et inconstantia maxime memorabilis, postquam geographiae studium tentaverat, medicinam, quam in Theophaniam et Mysticismum convertit, exercere incepit.

OPINIONES PHILOSOPHICAE HELMONTII.

Quum in mente haberet HELMONTIUS medicinam reformare et systema suis votis et sententiis respondens prioribusque oppositum construere, id primum egit, ut totam converteret philosophiam, veterum auctorum reprobaret sententias eorumque errores scholis sui temporis demonstraret. Qua mente primum in viros clarissimos, Aristotelem nempe et Galenum animum advertit, quorum sententiae omni mysticismo carebant, et cum se ipsum reformatorem necessarium divinis auspiciis ad suum consilium constitutum omniaque reliquorum inversa et absurda inveniret, opera sua non

9) Idem Studia pag. 11.

sine arrogantia incepit. „*In domum desertam*, inquit, *venio, sordes evertendas mihi reliquere, plurima indaganda sunt et dicenda quae ignota, subvertenda, quae male tradita, abstergenda quae immunda et quae falsa abiicienda erunt*¹⁰⁾. Sic ultra progressus Aristotelis et Galeni physicam eo convertere conatus est, ut elementa quatuor sensu latiori in tria, sensu vero strictiori in duo reducere vellet¹¹⁾; cuius rei argumentum id affert, quod illa elementa, utpote corpora composita, dici non possunt. In qua sententia si acquievisset aut elementa plane reiecisset, sane non errasset, sed reformandi studio impulsus duo eorum, quae antea elementa esse negaverat, aquam scilicet et aërem, quia „*primogenita*“ sunt, in systema suum recepit¹²⁾. Terram autem, quum creatis illis demum prodierit et in aquam „*per privationem suae essentiae*¹³⁾“ converti possit, elementis non adnumerat. Ignem elementum propterea non vocat, quia nusquam aliquid de eius origine legitur; dicit enim „*nego igitur deum creasse quatuor elementa, quia non quartum sit ignis; ideo vanum est materialiter ignem confluere in corporum mixturam*¹⁴⁾. Omnia corpora ex elementorum confluxu eorumque aequalitatem et diversitatem ex impari elementorum commixtu et continua pugna resurgere negavit et cum scholae adhuc perpetuo disputarent, utrum elementa mixta formas suas servarent an in quaque simplici mixtione formis essentialibus orbarentur, quas-

10) V. HELMONT, causae et initia naturalium pag. 21.

11) V. HELM., Elementa, pag. 35.

12) Idem pag. 35.

13) Idem pag. 35.

14) Idem pag. 35.

que peculiare species separata et mixta omnino assumerent, ad hanc quoque sententiam mutandam animum admovit. Sed hic dum elementorum coniunctionem et mixtionem uno loco negat, alio sibi ipsi contradicit „*ideoque non vanum est*, in-
quiens, ignem materialiter confluere ad corporum mix-
turam.“

AQUA ET GAS AQUAE.

Ut iam dictum est, aqua HELMONTIO princeps elementum (dicit enim: „*Ideoque credo aquam corpus prius atque simplicius*) fuit et vapores aquae non deleri, sed potius denuo in aquam condensari recte contendit, unde patet, eum distillationem naturalem non ignorasse. Nam quod Paracelsus aquam evaporando ad nihil reduci putat, id idiotismum recte vocat. Sed licet aquam ad simplicissima corpora adnumeret, tamen partes constituentes aquae tres refert: et qualem compositionem chemicam! Mercurius, sal et sulphur sunt aquae partes constituentes neque unquam in aqua illa tria separantur, nec ullam mutationem essentialem patiuntur: „*siquidem est partium internarum simplex per ignem extraversio, quae rursus intro remeant, quoties vapor in guttas condensatur; ideoque vel in liquorem LEFFAS*¹⁵⁾ *ad omnem plantam vel in succum BUR*¹⁶⁾ *mineralem transit.*“ Sed quomodo illa corpora ex aqua fiant, quo processu et quibus aquae elementis

15) v. HELMONT. Elementa.

16) idem idem.

componantur, mihi et forsitan etiam HELMONTIO ignotum est. Si porro duo nova corpora ex aqua, mediante terra, oriuntur, principia invicem mutantur aut dissolvantur, necesse est, qua in re sibi ipsi contradicit HELMONTIUS.

Vane inquit: „*Gas et Blas nova nomina a me introducta sunt, eo quod illorum cognitio veteribus fuerit ignota*¹⁷⁾:“ Gas omne id vocat, quod aquae fermentatione oritur et quod principia, e quibus formatur Archaei ope corpus Gasiforme, in se continet. Gas igitur substantia media inter spiritum et materiam et principium vitae¹⁸⁾ est et Gasa spatia aëris vacua implent. Cum Gase coniunctum est eius Blas meteoron, principium, quo stellae mutuo loco moventur, virtus igitur pellens, quae in res terrestres magnam exercet vim et aërem in ventum concitat. Id non intellexisse Hippocratem, qui ventum aëris fluentem undam dicat, auctor est, ex opposito affirmans, ventum esse *fluentem aërem, motum per Blas stellarum*, et alio loco, *cacodaemoni non raro dari, ut etiam sine Blas ventum provocet aut Blas tempestuosum augeat*¹⁹⁾. Inde satis intelligi potest, cum daemonis probi virtutibus eius Blas instructum fuisse, quod non ad modum cacodaemonis malitia ventum prodigiosum suscitet, neque oblitus est HELMONTIUS, sibi hoc loco contradicere. Iisdem verbis perspicuum est, eum non ignarum fuisse corporum coelestium in res terrestres influxus, sed denuo mysticismus eum seduxit, ut Blas, spi-

17) V. HELM. de aqua pag. 45.

18) KURT SPRENGEL, Vol. IV. pag. 351.

19) V. HELM., pag. 50. — idem pag. 51.

ritum proprium, motus et ventorum gubernatorem, aëris atque terrae motorem, sine quo aër immobilis et placidus sit, haberet. Ad quam opinionem magis eruendam nihil aliud necesse fuit, quam ut spiritus Blas domicilium esse materiam existimaret. Inde satis elucet, quamnam basin infirmam habeat philosophia HELMONTII et quis maiorem commiserit errorem utrum Aristoteles, qui tempore, quo chemia adhuc in pueritia fuit, vivens, non satis simplicia a compositis discernere potuit et propterea elementorum doctrinam non satis praecaute formavit, an HELMONTIUS, qui satis temere elementa corpora primogenita dixit idque non sine errore. Aquam primum corpus appellat, quia Deus primo die creavit coelum et terram. Sic ad modum veterum Iudaeorum iudicans, se illorum sententiis addictum fuisse demonstrat. Dein eodem tempore creata sunt terra et coelum, sed nihilominus terram elementum tertium esse negat, licet illa e corporibus primogenitis sit. Mirum, quod non animalia, solem, lunam et caetera, elementa secundi ordinis appellavit HELMONTIUS.

ARCHAEUS FABER.

Neque prius cessavit HELMONTIUS, quam postquam hunc daemonem e corpore et spiritu constructum esse, invenerat. Ipse dicit: „*constat enim Archaeus ex connexione aerae vitalis, velut materiae, cum imagine seminali, quae est interior spiritualis nucleus, foecunditatem seminis continens;*

*est autem semen visibile, huius tantum siliqua*²⁰⁾. *Imago Archaei ex praedecessoris idea defluens, vel earum e condo externorum arripiens, non est simulacrum quoddam demortuum: sed omnibus facultatibus necessariis ornatum vitaeque ac sensationis organon primum*²¹⁾. Archaeus omnia procreans sufficit, ut fermenti ope ex materia corpus formetur. Materia est aqua, cuius fermentatione creatur odor, quo allicitur Archaeus, qui ad imaginem suam et ideam corpora creat, et, quum putredo intrat, corpora deserit, ut ex novo fermento novum corpus creet. Sic sine semine, quod post fermentationem demum oritur, animalia reliqua, iis quae ex ovis pariuntur, analogae exstant. Omnium maxime in fingendo hoc daemone erravit, cum eum materialem cogitasse videatur. Aristoteli igitur opponit, qui quatuor dictavit rerum causas: *primam scilicet materiam indefinitam sive corpoream molem substratam, determinationis formalis indigam; alteram etiam internam essentiam sive rei formam; tertiam externam efficientem et quartam denique finem*. Uter viam secutus sit rectam, decidere non conabor, quum a lectoribus HELMONTII erroribus errores corrigere suscepisse, facile intelligatur. Quot exstent species Archaei, mihi non notum est, quum in corpore quovis Archaeus novus existere debeat. Praeterea quum Blas vis stellas movens etiam cum Archaei facultatibus indutum sit, sine dubio id ipsum, nil nisi Archaeus quidam est,

20) HELMONT., Archaeus Faber §. 4. — idem §. 6.

21) idem §. 3.

alio tantum nomine insignitus. Nec minus Gas ac Archaeum principium vocat vitae²²⁾, ita ut duo habeamus organa vitae primaria, quae cum Blas coniuncta trinitatem, patrem, filium et spiritum sanctum constituunt.

C H E M I A H E L M O N T I I.

Chemia disciplinarum sola est, cui certe non attulit damna HELMONTIUS, si non vera emolumenta tribuit. Ut ex eius scriptis satis apparet, nec ab aliis refutatur, primus fuit, qui qualitates variorum Gasorum docuit. Gas silvestre (acidum carbonicum) quod flammam exstinguit, recte a hydrogenio, Gase inflammabili distinxit. Spatium aëris vacuum implent Gasa quintuplicia; primum Gas *ventosum* i. e. ventus per siderum Blas commotus; Gas *pingue*; Gas *siccum*, etiam *sublimatum* dictum; Gas *fuliginosum* sive *endimium* et Gas *silvestre* sive *incoërcibile*²³⁾, quod ultimum apud HELMONTIUM magni est momenti, ubique invenitur, ex quoque fermento oritur, purum corporibus ante fermentationem inest; imo, ubi chemicum aliquem processum non plane intellexit, mox causam eius Gas silvestre appellat. Fontis Gasis carbonici non ignarus fuit, neque velocis eius in corpora efficaciae. Dicit enim, *ut patet in Crypta canis Sicculorum, peste, carbonibus suffocatis, et suffitibus; nec ideo aliquid proinde velocius in nos operatur; quam Gas confestim tamen saepe pluries in cuniculis*

22) V. HELMONT., Archaeus Faber §. 4.

23) idem p. 258. §. 4.

mineralibus interemti. Imo in cellariis, ubi potens cerevisia suum Gas eructat, facilis mors subita erumpit et suffocatio ²⁴⁾. Carboneum principium, ut mihi videtur bene ab acido carbonico distinxit. Contendit enim, neque posse in vasis includi nec in corpus visibile reduci Gas sylvestre ²⁵⁾. Volatilitatem eius bene novit, modo non recte intelligere potuit processum carbonum oxydationis, quum fermentationi acidi evolutionem e carbonibus adscripserit. Virtutes antisepticas et externas et internas bene observavit: „quum“ inquit „quo circa immensum dolui, sortemque humanam miseratus, tam crassa scholarum negligentia suffituum remedia altiora paene suppressi, quibus nedum recreantur lypothymici, sed etiam plurimorum morborum fiunt sanationes. Quod quandoque de odoribus in re medica explicatis facilius quisque mecum indicaverit. Neglecta enim sunt medicamina paene cuncta, quae restaurant vires, solisque diminutionibus, corporum, per cruoris ablationes, et solutivas scammoniatus notiones, perque cauteria, balnea, clysteres, sudores et cantharides est insudatum ²⁶⁾.“ Neque minus ei incognita fuit aëris et quantitativa et qualitativa mutatio per corporis oxydabilis combustionem, ita ut viam ad systema oxydationis prae- parasse videatur, qua in re solum Gas sylvestris omnipotentia et universalis existentia eum in errorem duxit, quod e verbis sequentibus bene patet: „etenim fermenta eiusmodi magis accedunt ad naturam corporum. Vides illud in lychnio sul-

24) V. HELMONT, pag. 69.

25) idem pag. 66.

26) idem pag. 68.

*phurato, quod accensum et suspensum in vase vitreo, ardebit quidem et implebit vas sublimata sulphuris fuligine, quam etsi exspirare feceris, et iterum lychnium ardens imposueris, momento ipso, quo intrat, exstinguitur. Non quidem a fumo sulphureo (qui cum sit ipse adhuc sulphur, deberet potius accendi) sed a Gase sylvestri, cuius solus odor flammam novam exstinguit: non quidem materiali flatu, sed odore sui: imo nedum lychnium sulphuratum, sed etiam flammam exstinguit candelae*²⁷⁾. Contra Paracelsum contendit, sal, sulphur et mercurium, principia chemica tria, ex aqua ortum trahere neque elementa esse, „*ea non existunt in corpore, sed ignis ope extrahuntur,*“ quo ignorantiam suam, maiorem quam Paracelsi, satis perspicue ostendit. Dolendum quidem est, quod HELMONTIUS Gas sylvestre in natura nimis crebrum invenire sibi visus est et omnia phaenomena chemica eiusdem praesentiae tribuens aliorum Gasorum naturam et virtutes perscrutari omisit. Praeterea, quod eius ortum solius aquae fermentationi et Archaeo adiuvanti adscripsit, veram fermentationis causam, processum et productum neglexit. Si hic sub Archaeo non causam intellexit fermentationis, recte vapores a Gasis distinguere conatus est. „*Gasa, inquit, aëris vacuum suppleant et ibi Gasorum multiplicium combinatione aërem atmosphaericum constitutum esse iam primum fixit, fundamentum, quod experimentis fortasse secutis, ansam dedit.*“

27) HELMONT. pag. 100.

PHYSIOLOGIA HELMONTII.

Motus causas duas in corpore humano statuit; *duplex itaque, inquit, Blas in nobis, unum nempe, quod naturali motu, alterum vero voluntarium, quod per internum velle sibi motor existit; hinc igitur impossibile est, stellarum praedictiones in nobis concludere recte. Sat nunc demonstratum, aliquid in sublunaribus esse, quid se ipsum localiter et alternative moveat; absque coelorum Blas et motore immobili naturali*²⁸⁾. Voluntas imprimis est prima eiusmodi causa motus, movetque se ipsum quodque ens seminale, tam in seminibus, quam in horum causis vicariis. Sic primum distinguit inter motum corporis nostri voluntati subiectum et involuntarium. Moventur autem corpora humana ita, ut Blas duo invicem in diversis organis agant, cum Archaeo et similibus, uti nostro nervorum aethere et vi vitali iuncta; et nisi vires illas Blas vocatas materiales reddidisset, errorem saltem non commisit. Ea sententia Aristoteli opponere voluit, qui motorem primarium ipsum immobilem dixit; „*Aristotelici,*“ inquit, „*qui naturam vocant principium motus, sive motum primum, absurda oblivione, expetunt in primo motore, ut sit immobilis*²⁹⁾. Quis hoc loco erraverit, nolo decidere, quum relativum sit vocabulum naturae et si verbum naturae solum HELMONTIUM offendit, sane eius erat indagare, quid

28) V. HELMONT. pag. 112. — 29) idem pag. 111.

sub vocabulo naturae Aristoteles intelligi voluerit, si non omnino potentiam immobilem eam dicere placuit. Fortasse natura HELMONTIO fuit daemon quidam immobilis e materia constructus. Hinc per duo Blas, diversas movendi potentias, quaecunque animantia moventur e quadam naturae voluntate vel placido quodam habentque illa naturales suas necessitates et fines, prout in pulsu cordis et arteriarum observari licet. *Causas itaque pulsum, inquit, ad duo necessitatis capita construxit Aristoteles. Videlicet, ad refrigerium cordis, quorum cor et arteriae simul sese dilatarent: et ad explodendas fuligines, a calore suscitatas. Quapropter nimirum cor et arteria simul se comprimerent et conciderent metu praefocationis. Quae duo iuxta fortitudinem, celeritatem, debilitatem, duritiem et magnitudinem varie intertexendo cum suis corrolativis, differentias pulsum artificiosa indagine compilavit. Veteres autem non contenti duobus sinibus, refrigerio nempe et fuliginum explosione, tertium addidere, qui fuit spiritus vitalis alimonia ex aëre. Iure reiiicere conatur HELMONTIUS hanc circulationis theoriam cordisque et arteriarum dilatationem synchronicam. Obiectionem vero affert contra tertiam et essentialem pulsus causam, aëris principii nempe commixtionem. Ait, quasi vero aër spiritus vitalis unquam fieret. Etenim si aëre sibi adiuncto, spiritus augeatur, sive nutriatur (quum corpus simplex non sit digestibile) iam sola mixtione ex aëre fieret spiritus vitalis; iamque non singula amplius nutriuntur immediate, quibus constant: fuit ergo veterum inscitia, nescientium*

*constitutionem spiritus vitalis, putantium, quod purum aquae, commistum multo vino, vel parum stanni, commistum multo auro liquato, vinum vel aurum fierent*³⁰). Sic reprobanda probans et probanda reprobans non abstinuit novam construere absurdam theoriam.

Etenim septum, sive interstitium est inter utrumque cordis sinum inse, quoad vivitur, ita porosum, ut attractu aurium cordis, (auritum enim per analogon censetur utrimque, quia velut folles habet) sanguis venalis a vena cava (dextrum cordis sinum formante per suum transitum) transeat atque migret in sinistrum, non vicissim, hinc, ad dextrum. Eo, quod pori in ipso septo sunt triangulares, cuius conus, desinens in sinu sinistro, facilius constipatur; basis autem illius trianguli, in dextro sinu, nunquam, nisi a morte; sanguis autem sinistri sinus, iam arterialis et veri nominis sanguis est, a se ipso adhuc cruore in vena cava, diversus colore et subtilitate. Quare non abs re novam sive quartam digestionem, in sinistro stomacho cordis invenire, mihi necesse fuit. Etenim non secus atque cruor venalis, a cremore et chylo differt, sic et sanguis arterialis a cruore, quamquam cognitione propinquiore et coelorum investitura quadantenus in unam familiam redegerint. In eo tamen est specifica amborum differentia, quod sanguis ab anima immortalis informetur in sinistro sinu: cruor vero minime, solaque luce, formae sensitivae participative, non autem informative il-

30) idem pag. 112.

lustretur. Caeterae enim digestionēs quietem exigunt, quarta vero, indesinente motus continuitate perficitur. Non enim quod ipse cordis motus sit causa formalis transmutativa, sed tantum dispositive concurrat. Scilicet in sinu cordis sinistro, tanquam stomacho, singulare fermentum maxime vitale et luminosum habitat, quod transmutati cruoris in sanguinem est causa sufficiens, prout sanguinis in spiritum vitalem transmutationi praest, quippe omnis cruor naturaliter tendit in finem suum, qui est nutritio; attamen ultimato, in vaporem sive in Gas, dispergitur et evanescit, nisi per coagulum accretionis sistatur. Sanguis vero arterialis, pro scopo habet, non quidem, ut in fuliginem sive excrementum vergat. Id enim si fiat a morbo et per accidens illi evenit. Proprium alioquin objectum est sanguinis, in spiritum vitalem traduci, qui, si dein etiam evanescat, hoc illi praeter intentum esto. Cum omne ens naturaliter permanere desideret. Est nempe spiritus vitalis, lux originaliter in fermento sinistri sinus habitans, quae illuminat spiritus novos a sanguine arteriali partos, ob quam luis continuitatem, arteria elevatur. Fiunt namque spiritus sic vitae participes et exsecutores illius prout et Vulcani continuati caloris. Vita ergo humana est lux formalis et modo et ipsa anima sensitiva lucida³¹⁾, non autem, exposito circulationis systemate HELMONTII, dubium erit num mutatio ab eo facta profuerit necne, neque licet, lectoris benevoli patientia diutius abuti, quum ille sat monstraverit,

31) idem pag. 113.

se cordis anatomiam, satis imperfecte cognovisse neque unquam organi huius structuram explorasse. Praecipue male sonant eius verba: „*neque enim sat est fermentum efficientem esse effectivum, ut sanguis animetur et vertatur in spiritum, illumque in sinu laevo cordis habitare, nisi motus concurrat pulsatilis, assimulatus motui, quo lac acidulum vera transmutatione in butyrum mutatur. Per motum nempe fit sanguinis non quidem acidi, sed salsi extenuatio, neque ideo in pinguedinem sive butyrum vertitur; sed in spiritum vitalem de salis adeoque de balsami natura: ita nempe sanguis per motum, calorem et fermentum mutatur in aetheream sobolem, luminis vitalis hospitium immediatum. Quapropter sanguis, aqua et spiritus idem sunt.*

Ut circulationis theoriae variae ei non placuerunt, sic etiam digestionis; triplicem scholarum digestionem in sextuplicem protraxit neque calorem digestionis stricte necessarium, sed excitando tantum agere censuit. Cui sententiae iure HELMONTIUS opponit, neutiquam ciborum concoctionem comparari posse cum assatione et concoctione culinaria, ignis ope peracta, etiamsi ventriculi hominum et quadripedum adauctum calorem digestionis tempore exhibeant. Praecipue illudit Paracelsum ac de eius stupiditate miratur, qui panem in diversis animalium speciebus specificam diversitatem accipere cruoris et stercoreis ob solius caloris gradum varium autumat et, quasi latitudinem caloris speciem condere aut variare in substantia opinatur, ita nimirum, ut quidam caloris gradus digestionem tam in morbis quam sano corpore augeat. Variis argumentis

veteres errasse demonstrat neque minus eos digestionis fermentum tanquam solam causam, quae cruoris tantam differentiam gignere possit, ignorasse conclamat. Itaque HELMONTIUS, *febrientis, inquit, in causo stomachus potentius digereret, quam sani. At sane, in febrientis stomacho nihil rite digeritur. Statim namque ova, pisces, carnes et iura intus cadaverantur, ideoque ructus nidorosos efficiunt, quos si ructus acidi subsequantur, bonum, tam ex signo, quam ex causa censuit Hippocrates* ³²⁾.

Sanum iudicium HELMONTIUS eo ostendit, quod vituperat eos, qui opinentur, a calore solo digestionem perfici. Quodsi eius argumenta legimus, in nobis oritur cogitatio, ab illo viro ingenioso, omnes veterum errores emendatos et res medicas promotas esse. Quod num revera ab illo factum sit, e sequentibus perspicuum erit. Neque minus bene cognovit, quae nam alimenta in febre bene vel male digerantur et a quibus febris aut levetur aut cum statu gastrico complicata augeatur. *Abstinentumque enim „dicit“ a potentioribus cibis, consummatis scilicet et iusculis: eo, quod absente fermento facile putrent, nidorem contrahant ac velut cadaverentur. Experimenta praecipue cum avibus instituit, narrans, meminisse enim vitrum album et opacum e fornace mea disiectum, deglutitum a gallinis meis, per colorem lactis delusis: atqui fractura vitri semper est acuminata, compertum vero est post paucos dies, occisis aliquot gallinis, vitrum circumquaque imminu-*

32) idem pag. 125.

tum punctatim, et acumina misisse et globosum fuisse effectum. Caeterae autem superstites convivae mox post paucos dies reliquum vitrum contriverant, etsi exemptos vitri globulos, e prioribus mactatis etiam voraverant, notabis interim vitrum resistere aquis resolventibus quacvis metalla. Pluribus nempe volucris fermentum adeo potens est, ut nisi subinde lateribus, creata, argillave vescantur: ex multitudine aciditatis male habeant ³³⁾. Fermentum stomacho necessarium esse inde cognovit. Puer passerem alens saepe linguam exseruit, quam passer apprehendebat et devorare studebat. Qua in re ingentem aciditatem in gutture passeris sensit, quam igitur causam cur tam edaces sint illae aves tamque bene digerant, esse conclusit.

F E B R I S.

Quum febris permultos morbos antecedit, comitetur aut sequatur et febrem definiant scholae veterum tanquam cum corporis statum, in quo calor praeter naturam in corde primum accensus, dein per totum corpus dissipetur, (qua quidem definitione nihil de mali causis, decursu ac sede additur), HELMONTIUS etiam febris doctrinam emendare cupit dicens: „*intus est magnus calor licet non sensibilis quia sit: continua premuntur, quae ut est siccitatis index primario, haec tamen in vivis praesupponit aequalem sibi calorem adeoque*

33) pag. 126.

*plus auctoritatis mereretur sitis quam sensus, ac nesciunt hanc sitim, non a calore, ut neque a siccitate manare, prout alias contingit in siti naturali. Ideo enim nec exhibito potu sedari. Quod regulariter fieri debet, si a sicco vel calido sitis ista oriretur. Fallax ergo sitis, non autem frigus. Oritur namque sitis ab excremento, quod facultatem istam sensitivam eiusque organon male affectat, illuditque non secus, atque si repente magna siccitas advenisset³⁴⁾. Quia scholae non minus statuunt, soporem a frigore non cohibendo ac sitim a nimia siccitate oriri, eam sententiam ita profligare putat, quod sopor non in omnibus febribus adsit, nec materiam peccantem in febre nimis calere, sed illud, quod in corde accendatur, non fuisse accensum, antequam febris accesserit ideoque omni modo differre a materia peccante in febribus. Id igitur aliter sese habere, statuit HELMONTIUS. Ex huius opinione: *Archaeus est omnis alterationis opifex adeoque hoc titulo impetum faciens, efficienter, primario, immediate, semper, ubique et solus non calefacit, iuxta axioma. Quidquid in sanis edit actiones sanas, id ipsum in morbis edit actiones vitiatas. Spiritus enim ipse calefacit hominem naturaliter in sanitate, idem qui in febribus aestuat: solus ubique Archaeus effective febrim concitat et quo abeunte per mortem, cessat cum eo febris. Accendit nimirum se ipsum Archaeus in nisu, quo cuperet expellere materiam occasionalem. Sic calor fe-**

34) De febribus pag. 73.

brium est accensus in impetum faciente Archæo: et febrium radix est ipsa materia peccans.“ Quod eo argumento corroborare conatur: „*spina querna digito infixa, actu et potentialiter frigida, mox in digito excitat calorem præter naturam. Non quidem quod calidi humores affluant, quasi per spinam eo convocati exspectassent spinæ vulnus et qui alias suis sedibus temperari resedissent. Siquidem cruor vulnere proximus, primus accurrit, aditum venienti cruori præripit. Et ipse per se quoque non calet, sed ex gratia vitalis spiritus. Itaque inflammatio et tumor cum pulsu duro, dolore et a calore, a solo spiritu causaliter: ab infixa vero spina occasionaliter duntaxat procedunt. Paradigma certe ad febris positionem, motum, cognitionem et sanationem sufficiens nimirum causa peccans in febre non calet ex se: calefacit autem tantum occasionaliter et ad spinæ sive causæ occasionalis evulsionem sequitur sanitas*“³⁵⁾.

Quod febris sedem attinet, contendit, sedem febris continuæ non differre ab ea intermittētis, ideoque fieri posse, ut continuæ in intermittētes desinant et vice versa. Eo repugnat et Galeno et Fernelio de locorum febrilium vera differentia. *Sedes februm in primis est officinis: extenditur scilicet a pyloro per duodenum et vasa ibidem multiplicia, item, venas mesenterii, lienem usque ad hepar. Proximiores autem ori ventriculi sunt eo molestiores, suisque anxietatibus magis formidandæ. Meam doctrinam confirmant nausea*

35) v. HELMONT. pag. 75.

praecipue carniū, pisciū et quae facile cadaveris instar olent, perhorrescentia, mox a februm introitu, sitis item, inappetentia, cephalalgia syncipitis, hemicrania sinistri lateris, deliria, sopor, vigilia, anxietates topicae circa os stomachi, ructus nidorosi, consternata digestio, vomitus, linguae quoque amaror, siccitas, fissurae, nigredo. Quae omnia sunt indicia oblaesae duumviratus in actione regiminis: huc accedunt superveniens ructus acidus, nubecula urinae, quaeque coctionem stomachi rediisse arguunt: sola autem quartana in splene ipso venisque sibi contiguis hospitium delegit. Maligna vero sola, aliquid putridi peculiariter sibi vindicat circa ventriculi orificium. Sunt autem tanto peiores, quae non in eius concavo, sed in convexo sederent: quod nonnisi extraordinarium arcanum ad ista attingat loca. Pestis autem in eo a ceteris malignis distat, quod quum non sedeat in sordibus febrilibus, ut neque in cruore, afficiat tantum ipsum spiritum vitalem sui odore, ob id quoque intret et exeat necessario cum aëre per poros diaphragmatis, adeoque tendit sic primario ad stomachum: nec pergere potens ulterius motu locali, suam ibidem sistit impressionem in nutrimento stomachi, unde mox vomitus, cephalalgia, sopores, deliria, syncope etc. “³⁶).

Venio nunc ad curationem febris ad modum HELMONTII instituendam, in qua, quum iam nobis cognitae sint eius sententiae de causis easque removendi necessitate, sat facile a

36) De febribus pag. 97.

priori concludi potest, illum quoque diaetam certam praescripsisse. Neque vero summam abstinentioniam, nec victum lautio-rem ac nutrientem ordinavit, sed talem diaetam, qualis a nobis quoque apta habetur, sequendam esse censuit. *Prorsus autem aliter de potu ab aegrotantibus hauriendo iudicat. Nam dicit, si febris sit calida et siticulosa, privetur autem potu humectante, depopulatur cruorem et solitarum partium alimenta, cum viribus. Etenim ut licet vesicam exonerare, quoties urget etiam importuna necessitas, ad hoc non petit a medico veniam: pariter quoque est bibendum, quoties monet necessitas, quum unum non sit magis naturae consonum, quam aliud. Abhorreo carnea et iuscula carniū. Nam extemplo natura detestatur eadem et quo meraciora, eo damnatiora ex mente Hippocratis. Corpora impura quo plus nutris, eo magis laedis, quia ova, caro et caetera facile cadaverantur et minime nutriunt³⁷⁾. Galenicorum abstinentiam a vino, eo quod febris non sit nisi calor et vinum febrienti idem, quod oleum ad exstinguendum ignem, vituperat et modicum vini usum in febribus, quo facilius aegroti convalescant ac vires recuperent, suadet. Quod eo probare vult: „siquidem nemo dubitat, quin pestis febris sit atrocissima, acutissima et celeberrima: quin absque venaesectione et purgatione, solisque sudoribus, et vini meracioris potu solvatur. Nemo quoque ambigit, quin theriaca aliaque sudorifera sint calida, propinentur in vino et in aqua vitae.“ Et pestem non*

37) De febribus pag. 99.

ab aliis febribus discernit: *nam revera pestis fluctuat in Archaeo, ut venenum. Febres vero pertinacem et adhaerentem venis materiam occasionalem habent.*“ Praeterea vino adscribit virtutem nuncii, qui vias novit occultissimas et in intimas corporis partes penetrat. Neque remedium adhiberi iubet refrigerans, sed sicut vinum eo prodest, quod corpus corroboret, sic remedia incitantia et resolventia Archaeum opitulantes adiuvant. Archaeus enim cum horum remediorum potestate suas commiscet vires et causas occasionales profligat. Vinum igitur, quum Archaeus sponte nunquam totus accendatur et postremo vires deficiant, est medicamen optimum, quia totum accendit et causam febris fortius oppugnat.

Quod diaetam ab HELMONTIO in febre praescriptam attinet, mirandum, quod, quamvis alii in omni febre diaetam strenuam suadeant, ille hic incitantia iubet. Hoc propterea tantum fecisse videtur, ut ab aliorum sententiis decederet. Sic secutus ea, quae aliis contraria sunt, sibi ipsi vario modo contradicit neque in sententia propria constans est. Nam ad modum adversariorum nutrimenta quidem parca, pauca, blanda propinari vult, differt, potus autem incitantes et spirituosos laudat ac temperantes in omni febre reiicit. At enim vero possit fortasse aliquis obiicere, illum reconvalescentibus tantum incitantia propinasse, aut vinum illius temporis alius generis fuisse; id tamen non ita sese habere, ex eius scriptis aperte cognoscitur. Quare dubito, quin HELMONTIUS methodo sua multos sanaverit, et egomet Deo gratias agens, me non eius curae traditum fuisse miror, quare non ad Archaeum magis

stimulandum nutrimenta quoque incitantia et corroborantia, praescripserit. De eius causis occasionalibus et de febris vera natura non plura dicam, quum cuique satis conspicuum sit, quomodo erraverit HELMONTIUS et mala peiora reddiderit. Praeterea sat erit, in memoriam revocare, eum in mysticismo educatum et mortuum esse: nam omnia quae suscepit, si ab initio bona fuerunt, malum ac mysticum finem habuerunt.

Remedium internum, quod specificum universale in febribus applicuit, potissimum fuit *praecipitatum diaphoreticum* Paracelsi³⁸⁾; cuius virtutes non minus in febribus quam in carcinomate, lupo et quolibet ulcere sive interno sive externo, denique in hydrope, asthmate, et morbo omni chronico laudat. Praeterea *Diaceltatessum*³⁹⁾ et *liquorem Alkahest*⁴⁰⁾, et Ma-ioranum, Rosmarinum, Salviam, Rutam atque similia in usum vocavit. Clysmata omnino reiicit et stupidum medendi subsidium vocat, intestinis inimicum. *Oculi lacrima*, dicit, *et si salsa, tamen indolens est, quia oculo familiaris et cognita. Aqua vero simplex in oculo dolet et aliud quidlibet. Urina*

38) VAN HELMONT, de febrib. pag. 102. mercurius dulcis noster.

39) Est argentum vivum vulgi, Coagulatum in Alkahest et tinctum cum aqua ovorum, fitque arcanum corralinum, de essentia et conditione aureitatis, sic paratus, ab Mercurio vulgo venale abstrahere alkahest, quod fit omnis horae quadrante, inquit RAYMUNDUS coagulavi argentum vivum et nemo praeter Regem scivit modum v. HELMONT de febribus pag. 102.

40) Mercurio igitur sic coagulato, fac inde pulverem minutum et destilla, ab illo quinque aquam ab albumine ovorum distillatam fiet rubicam dum instar coralli et quamquam foeteat aqua albuminum, tamen iste pulvis dulcis est, fixus ferens omnem follium ignem, nec perit in plumbi examine, spoliatur vero virtute medica, dum in album metallum reducitur — idem de febrib. pag. 102.

quoque, etsi salsa vesicam non mordicat, decoctum autem quaecumque per cathetera immissum etiam suavissimum, dolet intra. Stercus autem, quum cognatum sit intestino- rum contentum et domesticum, non mordicat, sed sentitur, donec ad carnosas recti intestini partes devenerit. Unde concludo, quod clysmata quaelibet, quum sint peregrina in- testino, non possint non illi esse molesta et ingrata⁴¹⁾. Ex his apparet, HELMONTIUM, argumentis absurdis et iudiciis falsis deditum et omnibus observationibus denudatum fuisse.

Si mihi quaestionem propono, num vere medicinam re- formaverit HELMONTIUS, respondere cogor, voluntatem quidem illi fuisse neque vero eum, quae proba sunt, peragere potuisse, cum eius systema maxima pro parte in opinionibus veterum Hebraeorum fundatum sit. Recte autem iudicavit de stimuli alicuius effectum et sequente partis eo tactae inflammatione, nec non, in partibus inflammatis adesse affluxum nimium et re- fluxum impeditum docuit. In Lithiasis doctrina non parum contulit, ut diversas, concrementorum species, quae tempore Paracelsi nomen commune Tartari ferebant, discerneret, eaque praecipitata esse e corporis nostri fluidis docuit⁴²⁾. Neque minus Mercurii dulcis virtutes novit, quem quidem diaphoreticum appellavit, sed in hydrope et hepatis morbis tanquam reme- dium, quo resorptio promoveretur, applicuit. Opium reme- dium incitans vocat, quod sal acre et Oleum amarum conti- neat. Venaesectiones intempestivas et evacuantium abusum, in morbis iure reiicit, quod talibus remediis crises impedian- tur.

41) De febribus pag. 92.

42) HELMONTII Historia Tartari. — idem de lithiasi.

Sic e brevi nostra opinionum HELMONTII descriptione hunc medicum quodammodo cum Broussaio Francogallorum comparari posse, apparebit. Nam quemadmodum hic in omni fere febre Gastroenteritidem adesse invenit, ita HELMONTIUS ubique Archaeum vidit.

T H E S E S.

I.

Syphilis localis, sine mercurii usu, prorsus sanari potest.

II.

Blennorrhoea urethrae benigna aptissime solo regimine curatur.

III.

Feminas asphyxia correptas concipere, non probabile est.

IV.

Non dantur remedia interna, quae dolores ad partum (*Wehen*) provocant.

V.

In rebus medicis non valet sententia: „de mortuis nihil nisi bene.“

VI.

Inter nautas potatores rarissime delirio tremente affliguntur.

VII.

Ad sistendam haemorrhagiam e vulneratis arteriis epigastrica et pudenda communi nullum instrumentum aptius est quam Index.

VIII.

Schola Broussaica solâ formâ ab HELMONTII opinionibus differt.

D. CAROLUS GOTTLOB KUEHN

PHYSIOLOGIAE ET PATHOLOGIAE PROF. PUBL. ORD.

ET

UNIVERSITATIS LITERARUM LIPSIENSIS

H. T.

P R O C A N C E L L A R I U S

P A N E G Y R I N M E D I C A M

I N

A U D I T O R I O I U R I D I C O

DIE VI. M. IVNII A. R. S. MDCCCXXXVII.

C E L E B R A N D A M

I N D I C I T

*Insunt additamenta ad elenchum medicorum veterum,
a Io. A. Fabricio in biblioth. graec. Vol. XIII.
p. 17 — 456. exhibitum.*

XXVI.

D. CAROLUS GOTTLIEB KUBIN

PROFESSOR OF MATHEMATICS IN THE UNIVERSITY OF GIESSEN

THEORY OF ALGEBRA
PART I

ALGEBRA
PART II

ALGEBRA
PART III

Ad finem vergit illius argumenti materia, qua viginti quinquies promotionem candidatorum medicinae in doctorem artis salutaris more in hac literarum universitate solemni indicavi. Iam cum similis scribendi occasio urgeat, liceat ex argumenti coepti reliquiis haec proferre.

C. STAT. SABINIACUS in lapide signatorio pharmacopolae commemoratur, quem Io. Dunodus, in academia Vesontina iuris professor primus publicavit. In secundo lapidis latere Cheledonii (sculptoris errore pro Chelidonii) mentio facta est. Huic enim plantae, sive sit Ch. magnum, sive parvum, post Galen. (*d. simpl. med. temp. et fac.* VIII. 22. Vol. XII. p. 156. ed. Lips.) extensoriam et calidam, eiusque succo visum exacuendi vim tribuit Aetius (*tetrab.* I. s. 1. p. 58.), quocum consentit Oribas. (*med. coll.* XII. p. 448. ed. H. Steph.) — Fuerunt autem alii quoque viri docti, qui vocem abbreviatam CHELED. alio modo explicarent. Putarunt enim, illam non plantae nomen indicare, sed medicamentum, cui hirudines (*χελιδόνες*) insint, visu admodum acuto praeditae, quarum combustarum cinis cum melle mixtus, atque palpebris illitus ad visus claritatem faciat, teste Paulo Aegin. *lib. VII. p. 646.* ed. Steph.) — Haud dubie in hoc ipso sigillo vitiose sculptum est praenomen G. CAP. pro C. STAT. apud Walchium (*antiq. med.*

select. p. 67.) et Tochon. *l. c. p. 61.* Vitium non agnoscit Saxius *l. c. p. 32.* — In alio sigillo, Vesontione quoque a Bimardo invento, unicum dumtaxat medicamentum eiusdem medici inscriptum legitur: DIACHERALE. Quae quidem inscriptio viris doctis largam disputationis materiam suggessit, dum alii eam inepte ex arabica lingua repeterent, alii a $\chi\eta\rho$, graeca echinorum denominatione derivarent*), alii denique, ad quos inprimis Saxius *l. c. p. 48.* pertinet, inscriptionem legerent: *ΔΙΑΚΕΡΑΤΟΣ* (pro corrupto *ΔΙΑΧΕΡΑΤΟΣ*) Tres ultimae literae vocis DIACHERALE leguntur: Ad Lippitudinem Extenuandam. Collyrium, ob cornu cervi combustum, quod continebat, *διὰ κέρατος* nuncupatum, a Celso iam lib. VI. c. 6. s. 16. contra graviores oculorum morbos inflammatorios commendatum est. Nicol. Myr. *sect. 24. no. 12.* formulam eiusmodi collyrii servavit; illudque ad chemoses valde efficax reperiisse testatur. Alias eiusdem scriptoris formulas, quae cornu cervinum continent, nolo adferre.

Δ SERAPION iunior, qui versus seculi decimi finem materiae medicae thesaurum compilavit, omnia fere continentem, quae cum graeci, tum latini scriptores medici de remediorum historia naturali atque viribus observavere. Cons. Sprengel. *Gesch. der Heilk. II. p. 443.*

SEVERUS, quem Galenus *de comp. med. s. loca III. c. 1. p. 623. to. XII. ed. Lips. citat*, asellos in aquariis vasis nascentes, cum unguentis tritos ulceribus infudisse refert, et Aetius tetrab.

*) Plin. *h. n. lib. XXXII. s. 24.* Echinum comburi cum viperinis pedibus iubent magi, claritatem visus promittunt.

II. 3. 90. 94. 95. collyrii cuiusdam inventorem laudat II. 3. 98. 102., diversus est a Severo iatrosophista, cuius libellus *de clysteribus*, ad imitationem Mantiae, a Galeno (*de simpl. remed. temperam. ac facult.* I. to. XI. p. 795. ed. Lips.) commemorati, scriptus latet mstus in biblioth. Laurent. Cons. Bandini *catal. mstor.* III. p. 152.

SEXTUS, de quo Sprengel (*Gesch. d. Bot.* Th. I. p. 113.) egit, diversus est a Sexto Africano, iatrosophista, quem Photius *myriobibl. cod. 34.* cum Iulio Africano confudit, teste Sprengelio *progr. 3. de art. chem. primord.* p. 4.

SILIMACHUS, qui secundum Cael. Aurel. *libr. chron.* I. c. 3. Hippocratis sectator fuit, forte in Lysimachus mutari debet.

SIMEON SETHI (ita enim, non Sethus, scribendum est) varia scripsit, a Fabricio (*bibl. graec.* X. p. 320. s. edit. Harles. XI. p. 320.) commemorata. Inter quae nobilissimum, idque solum typis excusum prodiit Basil. 1538. et Lutet. Par. 1656. Codd. mstos enumeravit Harles. in nova Fabricii editione l. c. His equidem addo, in bibliotheca Meermanniana olim quoque no. 265. excerpta e scriptis Simeonis Magistri Antioch. h. e. protovestiarii in palatio Antiochi Constantinopolitano, de quorundam animalium, volatilium, aquatilium et terrestrium facultatibus, ordine alphabetico, nec non no. 273. de alimentorum facultatibus, ord. alphab., denique no. 298. de ciborum facultatibus et virtutibus syntagma. Io. Freindium (*hist. med.* p. 157.) monuisse, Simeonem e coaevo fere Psello haud pauca mutuo sumsisse, Schneiderus ad Artedium de pisc. synonym. p. 244. refert, nullo tamen, quo id probaret, loco allato. Asserti autem huius veritatem te-

statum vel unicus de peponibus locus Simeonis p. m. 86. ss. cum Pselli p. 27. collatus. — Praeter hunc de ciborum facultatibus libellum reliquit Simeon compendium et flores naturalium et philosophicorum placitorum, e quo nonnulla capita descripta in variis bibliothecis servantur, v. c. de olfactu in bibl. Monacensi, de urinis in bibl. Vindob. lexicon botanicum in eadem bibl. etc.

SIMON inter hippiatricos scriptores a Xenophonte de re equestri c. I. p. 87. commemoratus est. A Suida et Tzetze male Cimon nominatur. Io. Meursius in biblioth. attica lib. V. (Thes. antiqu. Graec. to. X. p. 1605.) incertus haeret, num laudatus a Xenophonte de equitatu liber idem sit cum *Ἱππιατρικῶ*, a Suida s. *Τόλλη* citato, differatne. Equidem utroque titulo unum eundemque librum designari puto, cum constet, veteres in citandis aliorum libris paulo liberius interdum versatos esse.

SOCRATES, chirurgus, a Cael. Aurel. *de diut. morb. curat.* III. c. 8. (non, ut Fabricius vult, libr. V. c. 1.) hydropis curationem per divisuras integumentorum communium suscepisse narratur. Socratis eclegma ad tabidos memoratur a Nicol. Myr. I. 174. num ad huncce chirurgum referendum sit, equidem non definio. Plures Socrates praeter celeberrimum per omnes, Sophronisci filium, Diogenes Laert. commemorat, v. c. Coum, historicum, poëtam. Cons. et Io. Meursius l. c. p. 1606.

SORANUS, a Mallo, Ciliciae urbe, Mallotes cognominatus, cuius praeter Suidam Photius quoque *myriobibl.* 344. b. 30. mentionem fecit.

SORANUS Ephesius. Iis, quae Fabricius de hoc medico, inter methodicos celeberrimo, conguessit, haec aut nova, aut melius

ordinata addere liceat. Exposuit autem de illo Alb. de Haller in praefat. ad Coel. Aurel. p. XIV. ss. ita tamen, ut in sententia, qua is Coelium totum Sorani opus de medicina in latinum sermonem transtulisse contendit, me consentientem non habeat. Nam *acut. morb. II. c. 1.*, quo Coelius se Sorani locum *latinizandum suscepisse* fatetur, non de toto Sorani opere sermo est, sed de iis tantum, quae is de pressura seu lethargo docuit. Simili modo in omnibus aliis locis, quibus Sorani mentionem iniicit, semper expressis verbis ea indicat, quae e Sorano petita erant. Sic *acut. morb. II. c. 19.* aloes solutionem, ante cibum datam, a Themisone commendatam, Soranum noxiam censuisse refert, et c. 38. Hippocratis curationi pleuritidis et peripneumoniae allatae subiicit ea, quae Soranus in ea reprehendi posse putat: *his Soranus respondens ait*: porro *II. c. 31.* ubi cardiacae passionis signa allata sunt, verbis additis: „Soranus, *cuius haec sunt*, tumoris inquit signum nullum subesse“ etc. Coelius manifeste indicat, ea, quae antea dicta fuerant, e Sorani scriptis hausta non fuisse. — Multa Soranus scripsit, quorum haec a Coelio commemorantur: *libri de adiutoriis*, *acut. morb. II. c. 29.*; *libri causarum*, quos αἰτιολογούμενους appellavit, *chron. morb. I. 3.*; *de coenotetis*, quorum liber secundus laudatur *chron. morb. IV. c. 1.*; *de febris acut. morb. II. c. 33.*; *isagoge*, quae hodie nonnisi latino extat sermone; *de anima*, cuius libr. quartum Tertullian. de anima c. 6. laudat; *de medicamentis*, τὰ περὶ φαρμάκων γεγραμμένα, Galen. *de med. s. gen. III. c. 9. p. 622. to. XIII.*, qui quidem liber fortasse idem est, quem idem Galen. *de med. loc. I. p. 493. to. XII.* sub titulo περὶ φαρμακείας laudavit, eiusque librum quartum ad-

duxit; denique *μονόβιβλον φαρμακευτικόν*, commemoratum a Galeno *l. c.* — Neque internam solum medicinam, sed et externam a Sorano cultam esse, partim commentarius *περὶ σημείων κατὰ γμάτων*, qui in Nicetae collectione chirurg. vet. ab Ant. Cocchio Flor. 1754. f. p. 44 — 51. edita exstat, partim *περὶ ἐπιδέσμων*, qui a Charterio in sua Galeni et Hippocr. editione, vol. XII. p. 805. ss. typis exscriptus est, probat. Inveni quoque Soranum laudari ἐν ταῖς τῶν ἰατρῶν διαδοχαῖς in fragmento quodam, quod Maius in *Auct. class. Vatic.* to. IV. p. 8. not. 2. publicavit. — Denique moneo, Sorani nomen restituendum esse, iudice Io. Bosscha in *Apuleii herbar.* p. 524. ed. Oudend. pro vulg. *Torano*.

SOSTRATUS. Paucis a Fabricio de hoc medico allatis haec addo. Plura ex eius libro *de natura animalium* (sic enim illum laudat scholiastes ad Nicandri *theriac.* vs. 565. p. 90. ed. Schneid.) servata sunt fragmenta ab Athen. VII. p. 303., ubi differentiam pelamidis, thynni, thyrenidis, orcini et ceti exponit, et VII. p. 312. ubi simpliciter propterea adducitur, quod smyraenae nomen sine s scripsit. Aelian. *h. a.* V. c. 27. de albis merulis circa Cyl- lenem, de quibus quoque Schneider. ad Aristot. *h. a.* IX. c. 18. consulendus est. Ex eodem libro haud dubie petita sunt, quae e Sorano adferunt Scholia ad Apollon. Argonaut. I. 1269. de asili generatione. Schneider. ad Artedum *de pisc. synon.* p. 244. eadem ab Aristot. *hist. anim.* V. c. 19. tradi monuit. Scholia ad Nicandr. *ther.* vs. 747. simpliciter adferunt, libro, unde allata petita sunt, non nominato, formicam a Sostrato heracleoticam cognominari. Praeterea scripsit *περὶ βλητῶν καὶ δακέων*, teste Scholiasta ad Nicandr. *ther.* vs. 760. et 764., unde fortasse de-

sumta sunt, quae Galenus *de antid.* II. c. 14. to. XIV. p. 184. et Aelian. *hist. anim.* VI. c. 51. tradit, presse secutus Nicandri *ther.* vs. 334. et 341., de dipsadis morsu eiusque effectis. — Chirur-
giam exercuisse Sostratum, probant praeter Celsi testimonia, fa-
sciae ab eo inventae, quarum memoria a Niceta libro cit. sect.
CCCCLXIX. CCCCLXXXII. et CCCCLXXXIV. servata est. —
Alios eiusdem nominis viros laudat Athenaeus, tibicinem VI. 244.
et Chalcedonium VI. 252.

Plura quidem in promptu habeo, quibus catalogum me-
dicorum a Fabricio confectum augere possum. Sed haec in aliud
differam tempus, cum solemnitas academica sit indicanda, qua
in Candidatum Doctissimum

DIETERICUM HENRICUM FRAENKEL

MEDICINAE BACCALAUREUM DIGNISSIMUM,

summi artis salutaris honores conferendi sunt, quos quomodo
promereri studuerit, optime Lectores Honoratissimi e vitae Can-
didati curriculo cognoscent.

*Natus sum in promontorii bonae spei urbe capitali anno
huius seculi XII. patre optimo SIEGFREDO FRAENKEL, medi-
cinae doctore, et matre carissima IOANNE CATHARINA e gente
HENKES, quam mihi adhuc servare Deo O. M. non placuit:
ante septennium enim illam dura et inexorabilis mors mihi
eripuit. Iuvenis praeter patrem amicissimum meique aman-
tissimum ANTONIUS BERRANGÉ, medicinae doctor, mihi fun-*

damenta latinae graecaeque linguae tradidit, cuius institutione fida atque strenua intra triennium ita profeci, ut inter alumnos Athenaei illustris Austro - Africani recipi possem. In eo mihi contigit esse tam felici, ut magistros nanciscerer viros clarissimos et ob humanitatem amicitiamque erga me mihi carissimos, ADAMUM FAURE, IACOBUM ADAMSONUM et IOANNEM BRANDT, quorum cura nullo modo defatiganda eam collegi doctrinam, ut cum fructu academiam frequentare possem. Placuit autem Patri Optimo, ut primum anno h. s. XXXII. literarum universitatem Lugduno - Batavam adirem. Ibi superato examine mathematico - philosophico inter medicinae studiosos sum relatus. Sed post brevem moram illi academiae iterum valedixi. Nam iam anni sequentis initio almam literarum universitatem, quae Hafniae floret, petii, ubi praelectiones frequentavi Viri Excellent. HORNEMANNI, botanicen et zoologiam tradentis. Dein docentes audivi chemiam et physicen Viros Ill. OERSTEDTIUM et IACOBUM BERZELIUM. In anatomia et methodo cadavera dissecandi me instituerunt Viri Excellent. W. G. STEIN et E. SWITZER, in physiologia Exper. ESCHRICHT, in pathologia cum universali, tum speciali Excell. O. L. BANG, in materia medica et arte formulas medicas componendi Clar. CAROLUS OTTO et Clar. A. G. SOMMER, in chirurgia Celeb. CALLISEN, in operationibus chirurgicis et fasciarum recte applicandarum modo ac ratione Exp. S. E. LARSEN, in toxicologia et medicina forensi Clar. CAR. OTTO, in arte denique obstetricia et operationibus ad eam pertinentibus, machinae obstetriciae ope discendis Illustris

I. S. SAXTORPH. Scholas clinicas in nosocomio Fridericiano frequentavi, quas habebant Illustr. O. L. BANG, Clar. I. G. MUELLER et Ill. I. C. WENDT.

Cum autem in votis Patris maxime venerandi esset, ut non nisi summis doctoris medicinae utriusque honoribus a facultate medica Lipsiensi ornatus domum redirem, Hafnia relicta mense Octobri anni praeteriti hanc adii literarum universitatem, scholasque clinicas, quibus moderatores praesunt Illustr. CLARUS et Excell. KUHLIUS, viri humanissimi et me paterno amore amplectentes frequentavi. Praeterea Illustr. IOERGII, de arte obstetricia praelectionibus interfui et ab eodem in operationibus obstetriciis recte instituendis sum eruditus. Excell. KUHLII institutione usus sum in operationibus chirurgicis ex artis regulis perficiendis. Ill. CLARUM quoque audiivi exanthematum chronicorum naturam et curationem explicantem. Ophthalmologiae cognitionem e praelectionibus Viro- rum Exper. RITTERICHII et RADII hausi, denique etiam poli- clinicum, cui Viri Excellent. CERUTTI et BRAUNE praesunt, magno cum fructu interfui.

Ut hisce praelectionibus studioque privato collectam artis salutaris cognitionem Ordini Gratioso probarem, hunc rogavi, ut me ad consueta examina admitteret. Hisce precibus Ordo Medicus concessit locum, atque diem XVIII. mensis Ianuarii huius anni mihi adsignavit, quo mecum prius, pro obtinen- dis Baccalaurei medicinae honoribus subeundum, examen in- stitui deberet. Id cum feliciter superatum esset, optavi, ut et alterum idque rigorosum, quo an dignus essem summis in

medicina honoribus, disquirendum erat, propediem mecum institueretur. Dies igitur XVII. mensis Martii, ut votis meis satisfaceret, electus est.

Cum Candidatus Praenobilissimus hoc quoque examine rerum ad morbos feliciter curandos scitu necessariarum cognitionem talem exhibuisset, ut *prima*, quae Nobis in usu est, censura ornari posset, unum adhuc eruditionis specimen prius, quam summis artis salutaris honoribus potiri poterat, edendum erat, publica scilicet dissertationis de argumento medico contra adversarios defensio. Dissertationis argumentum ab *Helmontii vitae opinionumque enarratione* desumptum, disputationi dies autem VI. m. Iun. adsignatus est. E quo certamine erudito si Candidatus victor abierit, ego pro ea, qua ad hanc solemnitatem academicam sum instructus, Cancellarii vicarii auctoritate Candidatum Dignissimum Licentiati medicinae ac chirurgiae titulo et cum illo coniunctis iuribus atque privilegiis condecorabo.

Ad quam solemnitatem academicam praesentia sua illustriorem reddendam **RECTOREM ACADEMIAE MAGNIFICUM, PRINCIPES SERENISSIMOS, COMMILITONES AESTUMATISSIMOS** omnesque qui Nobis bene cupiunt, omni, qua par est, observantia invito.

P. P. Domin. II. post Fest. Trinit. A. R. S. MDCCCXXXVII.
